

S P E M

DE

Felici temporum reparacione

QVA
S P O N S U S
V I R

Præclarissimus Doctissimusque

D N U S . S A M U E L
T H E O D O R U S

S chönwaldt

P R O F . G Y M N . T H O R . O R D I N .

L eotissima omnibusque sexus sui virtutibus eximia

una cum
V I R G I N E

A N N A
C H R I S T I N A
N A T A G M E I N E R I A

tenentur

D I E N U P T I A L I

d. 25. Augusti

demonstrare voluit.

E P H R A I M O L O F F . E l b i n g . P r u s s . L i b . A r t . S t u d .

T H O R U N I I I m p r e s s i t l o h , N i c o l a i N O B I L . S E N A T , & G Y M N , T y p o g a p h u s .



Aud iniqui in seculum hoc modernum
sunt, qui illud præ antiquiori tempore
impietatis maxime accusant & de malignitate temporum præsentium assidue
conqueruntur, ut nihil fere crebrius ho-
minum sermonibus audire liceat, quam
pristini ævi felicitatem multis encomiis
prædicari, præsentis vero iniuriam & mo-
lestias damnari. In omnium enim fere ore versatur tum en-
comium antiqui candoris pristinorumque temporum felicitas,
tum de præsentis temporis improbitate undique communis
qverela, quod præsenti seculo ubique fides exulet & impietas
totum fere orbem occupet. Ex quo enim fucata pietas or-
bem operuit superioribus quidem semper nostris vero maxi-
me omnium temporibus, iniquitas tantas radices egit, ut fere
omnium hominum societatem corruperit. Nempe ut quisque
perditissimus est ingenio, natura, consuetudine, studiis & arti-
bus; ita pietatem, religionem, sanctitatem, sapientiam, virtu-
tem, justitiam, honestatem, prudentiam & quid non? splendi-
do mendacio strenue præ se ferens sibi cœterisque callidissime
imponit. Videmus & deploramus profligatam ex animis ve-
recundiam modestiamque morum, cum pauci sint, qui adhuc
multum verecundiae & frugalitatis atque etiam rusticitatis anti-
quæ retineant & servent, sed plurimos studium vanitatis & no-
vitatis habet, tenet, possidetque. Conquerimur & quidem
merito de decrementis fortunarum, de familiarum ruinis de
rerum publicarum commutationibus & eversionibus. Indi-
gnamur eversam esse legum sanctitatem boni ordinis compa-
gem laceratam & convulsam. Hæc vero impietas seculi no-
stri, ut omnis mali, ita moderante fato magnæ rerum conver-
sionis & subitæ licet vera sit causa, tamen magis de iniquioris
ævi malignitate quam hominum impietate plerosque audimus
conqueri: *O DEus in qua nos reservasti tempora!* Equi-
dem excutientes seculorum res & monumenta, atrocitatem
temporum pristinorum tantam deprehendimus, ut unam-
quamque ætatem non iniuste conquestam de suis molestiis di-
cendum sit, cum nunquam fuit tempus turbis vacuum, homi-
num rabie ac perversitate. Attamen ut a genio suo tempo-
rum vices mutari observarunt, multi, ut modo difficilior, mo-
do tolerabilius paulo eveniat ætas; ita crescente impietate cre-
scunt pœnæ divinæ, & crescentibus pœnis crescunt querelæ
de malignitate temporum. Verum enim vero, si dicendum
quod res est, non tam de temporum quam hominum mali-
gnitate ipsis conquerendum esset, quod Celeberrimus Wra-
tislavi-

tislaviensium olim Senior CASPAR NEUMANNUS in Numisma-
te egregie expressit, cuius antica pars hæc habet verba ger-
manica:

Die Hoffnung beschr. Zeiten, wenn kommt sic?

In postica vero parte hæc responsio legitur:

Sie fragt nach frommen Leuten, wo sind sie?

Qvod Numisma Maxime Reverendo Dno. C. A. GERET,
Meritissimo Nostro Seniori Rev. Min. Thor. Theologo for-
titissimo & per tot casus arduos probatissimo, cui vitam longæ.
vam omnes boni animitus merito precantur, ansam præbuit,
ex singulis Pericopis Dominicalibus Evangelicis Methodo an-
nua SPEM de felici temporum reparatione e suggestu juxta
hanc Inscriptionem cum magno, ut semper solet, fructu ani-
marum pro eximia, quæ ipsi ineft, dicendi vi exponere, cœ-
tuique dlvino demonstrare e malitia hominum omnem mali-
gnitatem temporum provenire. Sane, quod Cicero olim Lib.
II. Epist. XVI. dixit. *Scimus nos multis peccatis in hanc æru-
mnam incidisse.* Id nobis quoque omnibus in communī cala-
mitate versantibus fatendum est. Qvemadmodum vero con-
cedendum est, neque temporum meliorum desiderio neque
assiduis qverelis de impietate seculi quidquam profici, si desinet
qui de sanandis vulneribus solliciti sint, & labanti Reipublicæ
subvenire velint; Ita neque tamen abjiciendus animus, sed
fulciendus spe hac, ut emersionem e malis non submersionem
in hoc pelago adhuc expectemus. Licet enim hoc communis
vitii habeant multi etiam inter Christianos in ancipiti rerum
exitu versantes, quod Cicero in se habuisse ingenue Lib. IV.
Ep. XIII. fatetur dicens: *Si quisquam est timidus in magnis
periculisque rebus semperque magis adversos rerum exitus
metuens, quam sperans secundos; is ego sum: Et si
hoc vitium est, eo me non carere confiteor.* Nec plane in-
justum vel intempestivum metum hunc in incolis Regni Po-
loniae hoc tempore maxime facile quispiam dicet, qui faciem
temporum modernorum in Regno Poloniae penitus excutit.
Sed non hebetare nostras curas temporum nostrorum infelici-
tas debet, nec ideo animus plane abjiciendus, sed fiducia in
DEUM fulciendus, fore, ut si unanimiter Rex novus eligatur,
vulnera Patriæ sanentur. Imo si vel etiam nulla salutis nostræ
temporalis subesset Spes, nobisque in hac calamitate plane ta-
bescendum esset, scimus tamen nihil tam durum nobis posse
accide-

accidere, quod non in commodum aliquod vertere ille rerum nostrarum Summus Arbitr̄ possit. Adhuc h̄c dulcis vitam nostram Spes fovet de meliore rerum nostrarum conditione, ut quos DEus de Spe decidere non sinit, exclamemus: *Magna tamen Spes est in bonitate DEI.* Qvod si enim Spes est expectatio futuri boni, nos quoque etiam in dubia Electionis Regiae alea, si vel plurimi majore teneantur felicis Electionis expectatione quam Spe, nos tamen & expectatio & Spes in DEum & juxta DEum in Serenissimam Rempublicam fovet de meliore rerum nostrarum statu. Non parvam nobis afferunt expectationem Proceres Regni de pacato Regni statu solliciti. Det DEUS! ut dum pro felici reparazione orbata Rege suo Reipublicæ Polonæ publica consilia agitantur tum totius Regni tum Civitatis Nostræ vulnera feliciter sanentur & reparantur. Hæc quoque SPES de felici temporum Reparatione Te Praclarissime Domine Sponse certissima alit, fore ut veritas illius quod Frontispicio Curia Nostræ inscriptum legitur adimpleatur: *Sub Spe Seculi Melioris.* Dum enim Nuptias sub hoc ipsum tempus celebras, quo Proceres Regni de sanendis Reipublicæ vulneribus & reparazione, Rege suo orbati Regni sunt solliciti, SPES de felici Temporum Reparatione manifeste monstras, fore, ut damna quæ Curia, Ecclesia & Gymnasium Nostrum hactenus sensit, resellantur. Servet TE DEUS in emolumentum Iuuentutis Scholasticæ cuius studia dexteritate Tua indefessoque labore hactenus summa cum laude promovere nunquam intermisisti. Quemadmodum vero de feliciter obtenta SPONSA lætabundus gratulor; ita animitus voveo, ut non modo annus hic omnibus bonis ubertate gaudii publici sit insignis, sed & Conjugium semper sit felix faustumque & quæ animi Tui hactenus fuere desideria & vota, jam feliciter reparentur.

